

ASSERTIONES THEOLOGICÆ DE SATISFACTIONE

TISFACTIONE QVÆ PRO PECCATIS FIT IN HOC ET IN
futuro seculo quas defendet egregius artium Liberalium Magister Wolfgangus Holl. Præsidente Reue-
rendo patre Doctore Hermanno Thyræo facultatis Theologicæ Decano, ac professore ordinario.



1. Satisfactionis nomen, in scripturis quidem non reperitur in ea significatione, qua usurpat Theologi, partem facientes pœnitentiae tertiam, interim apud patres perinde usurpat ut nunc de ea loquimur & res in scripturis sacris iuuenit.
2. Est autem satisfactio pœnitentiae pars, qua post dolorem de peccatis eorumq; confessionem accuratam coram sacerdote peractam, homo pœnitens in se armatus, quas pœnas sacerdos in iudicio spirituali decreuit, uel iuste exigere potuit prompte obedienterq; explet.
3. Nam qui peccauit, is pro peccato pœnam luat necesse est, cum id exigat iustitia amissis ac regula æquissima.
4. A eterna pœna, quæ pro peccato originali debebatur, ita solius Christi merito per baptismum soluta est, ut nostra sat if factio nullum ib locum habeat.
5. Pro hac Christus in cruce ex æqualitate iustitiae satisfecit.
6. De qua solutione scripturæ passim loquuntur, cum remitti peccata per Christum, per fidem in sanguine eius, per baptismum in aqua & spiritu sancto, dicunt.
7. Interim tamen peccati nomen in scripturis preter eum usum & in culpa mortalium & in ueniali ponitur.
8. Quæ culpa mortalium & uenialis nulla humana satisfactione, piaculoue tolli potest, sed ab eo tantum tollitur, de quo scriptum est, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi.
9. Scripturæ tamen & ecclesia, parte aliqua quoad pœnam scilicet temporalē ipsi remissis debitā, per satisfactiones nostras tolli ostendunt.
10. Nam culpa quæ æternæ damnationi hominem addicit, & æternæ ipsa damnatio, ita gratis remittitur per passionem Christi & uirtutem clavium, ut tamen residua sit ex decreto dei obligatio ad pœnam temporalem exoluendam.
11. Idem de peccato ueniali quod ad culpam attinet censendum est.
12. Quod decretum per scripturas, unaminem patrum consensum, ecclesiæ usq; ad tempora nostra non intermissam consuetudinem, accepimus.
13. Non est igitur ea ratio baptismi, quæ pœnitentiae, cum in illo homo renascatur, hic renatus iudicetur.
14. Nasci sine obligatione satisfaciendi par est, in iudicio autem pœnam aliquam fuscipere.
15. Neq; est quod Catholicis a quibusdam obiciatur Christi passioni iniuriam fieri.
16. Pro peccatis totius mundi Christus satisfecit, ita abunde ut ab omnibus simul creaturis ita plenē satisficerine quiuerit.
17. Sed satisfactio eius tametsi infinitæ uirtutis, hominibus applicatur iuxta dei uoluntatem sanctissimam & iustissimam.
18. Qui uult mortem Christi sui, dum per canalem aquæ baptismalis ad nos uenit in adulto omnem pœnam æternam ac temporalem sustollere, eandem autem in pœnitentia ita mortales uenialesq; culpas, & pœnas æternas diluere, ut ad temporales obligemur.
19. Quod ipsum summa gratiae munus est dum merito passionis Christi pro mille, uno uero infinitis talentis unum teruntium reposcimur.
20. Nihil igitur detrahunt Christi Domini nostri passioni ita docentes.
21. Teruntius quem exigimur non nisi notatus sanguine Christi, pro nostris pœnis, quas in purgatorio luere debebamus satisfacit.
22. Nihil igitur hic purè nostrum redditur dum Christus in nostra pœna satisfactio.
23. Per nostras enim lachrymas, orationes, ieiunia, eleemosynas, castigationes, mortificatiōes & alia exercitia ei satisfactio nobis applicatur.
24. Variabæ applicandæ Christi satisfactionis ratio nobis utilissima, dei sapientiae, misericordiae, & iusticie maximè congrua est.
25. Propter hanc satisfactionem a patribus, pœnitentia, laboriosus baptismus dicitur.
26. Pro quo quis peccato temporarie pœna debitor homo constituitur siue id sepius, siue semel, siue publicè, siue occulte comissum sit, siue prontatem ad malum aut uitiosum habitum in nobis, siue non reliquerit.
27. Rationem redimendi has pœnas Deo debitas ab Ecclesia discere oportet, extra hanc enim frustra salus queritur.
28. Per contritionem uehementem potest omnis pœna temporalis remitti si tanta sit quantam habuisse sanctum latronem & Magdalenam Euangeliū ostendit.
29. Hereticum est docere solum propter purgationem animarum imperfectarum, macerationem carnis, Ecclesiasticam disciplinam, proxime cædificationem, Canones pœnitentiales a legitimis concilijs & sanctis patribus statutos olim fuisse obseruatos: aut nunc satisfactio nem a sacerdote iniunctam impleri, cum satisfactio pro peccatis baptismi superadditis semper necessaria fuerit.
30. Prorsus qui non satisfecerit Deo in hoc seculo is satisfaciet in futuro: A postolus ait: Horibile est incidere in manus dei uiuentis, & si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus dei & non in manus hominum.
31. Purgatorijs locum esse in quo pœnae temporales luuntur, ab illis qui in hoc seculo non satisfecerunt pro peccatis mortalibus remissis, uel qui uenialia secum decedentes detulerunt scripturæ ueteris et noui Testamenti, patrū & pontificum scripta, Concilia Ecclesiæ uetusissima, Greco latiniq; Doctores, sacrificij pro mortuis perpetua a tempore A postolorum oblatio ostendunt.
32. Interim post mortem alijs etiam in locis ex dispensatione diuina non nunquam satisfacere animas credendum est.
33. Ut citius eruantur prosunt ipsis opera uiuentium pro illis facta propter charitatem in qua decesserunt, & per quam uiuentes meruerunt ut ipsis opera uiuentium prodeſſe possent.
34. Sicut Christus liberauit a pœnis latronem dicens ei, hodie mecum eris in paradiſo, ita uicario suo reliquit potestatē ut a pœnis debitis crucere reconciliatum posſit indulgentijs concessis.
35. Qui quod donat in persona Christi donat, ex theſauro Ecclesiæ ac Christi passionum ac sanctorum, quæ fuerunt ultra mensuram debitam toleratæ, illis misericorditer elargiendo ac remittendo pœnam quam non solū Ecclesia sed diuina Iustitia exigit, præter eam quā confessio Dei minister imposuit.
36. Hoc illum posse, scriptura, sanctorum consensus, & Ecclesiæ autoritas docent.
37. Quam rem magni facere debent fideles, propter reuerentiam sudorum Christi & sanctorum.
38. Neq; facile his indulgentijs per negligentiam sc̄ priuare cum adhuc in hac peregrinatione uiuentes una hora multorum annorum pœnas redimere possint.
39. Verum indulgentijs ita demum frui possunt si confessi contritiq; sint uel confiteri in animo habeant quando tempus confitendi in Ecclesiastica consuetudine fuerit, prout pontificis indulgentias largientis edictum decreuerit.

This image shows a horizontal strip of aged, light brown paper. The surface has a mottled texture with darker brown spots and streaks, indicating water damage or mold over time. There are also some lighter, irregular patches where the paper appears more worn or discolored.